

CLEMENS PP. VIII.

SANCTISSIMVS in Chriſto Pater, & Dominus Noſter Dominus Clemens Diuina prouidentia Papa VIII. ne ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & ex eo, quòd ob locorum diſtantiam perſonarum quibus cauſæ mandantur, certa notitia haud ita facilè haberi poteſt, per Iudices aliquos minus interdum idoneos in Conſeruatores deputatos cauſas ipſas cognoſci contingat, cupiens ſalubriter prouidere, reuocauit, ac declarauit nullas, inualidas, & ſubreptitias omnes, & quaſcumq; Iudicum deputationes in literis Conſeruatorijs iuxta formam in quinterno Cancellariæ deſcriptam, ſeu aliàs quomodolibet expeditis hactenus per Sedem Apoſtolicam perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum conceſſas, & directas ijs Conſeruatoribus, & Iudicibus, qui qualitates non habent requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui Prædeceſſoris ſui, quæ incipit *Statutum*, quiq; etiam in Cōcilijs Prouincialibus, aut diœceſanis, iuxta Decretum, Concilij Tridentini electi, & deſignati non ſunt ad inſtantiam quorumcunq; Conuentuum Capitulorum, Militiarum, Vniuerſitatum, Collegiorum Ordinum, ac in fauorem quorumuis Monaſteriorum, Hoſpitalium, & aliorum quorumuis piorum, tam ſæcularium, quàm cuiuſuis Ordinis, aut Inſtituti Regularium locorum quantumuis exemptorum obtentas, cum quibuſuis præſeruatiuis, reſtitutiuis, mentis atteſtatiuis derogatoriarum derogatorijs, efficacioribus, & inſolitis clauſulis, & decretis, quorum omnium tenores Sanctitas Sua haberi voluit pro expreſſis; non tamen quoad negocia iam cępta, vel quoad ea, in quibus illæ ſuum ſunt ſortitæ effectum, ſeu exequutionem habuerunt: Ac etiam inſuper voluit, & ordinauit, quòd omnes deinceps literæ Conſeruatoriæ huiuſmodi per Sedem Apoſtolicam concedendæ ad Conſeruatores, & Iudices dumtaxat dirigantur, qui qualitates iuxta dicti Bonifacij Conſtitutionem habeant, quiq; in præfatis Concilijs electi, & deſignati ſint, & non alijs, aliter verò expeditæ literæ præfatæ nullius ſint roboris, vel momenti. Decernens, &c.

Placet publicetur & deſcribatur Hi.

Lecta, & publicata fuit ſupradicta reuocatio Romæ in Cancellaria Apoſtolica, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, die verò Iouis decimanona Martij, Pontificatus Sanctiſsimi Domini Noſtri Papæ Anno Primo.

Claudius Ciccolinus Cuſtos.

Marcus Antonius Aſcentius Cancellariæ Apoſtolicæ Vicecuſtos extraxi ex libro Regularum Cancellariæ Apoſtolicæ, & in fidem me ſubſcripſi.

ROMAE, Ex Typographia Reu. Cameræ Apoſtolicæ.



CLEMENS PP. VIII.

SANCTISSIMVS in Christo Pater, & Dominus Noster Dominus Clemens Diuina prouidentia Papa VIII. ne ob malitiosam partium suggestionem, & ex eo, quòd ob locorum distantiam personarum quibus causæ mandantur, certa notitia haud ita facilè haberi potest, per Iudices aliquos minus interdum idoneos in Conseruatores deputatos causas ipsas cognosci contingat, cupiens salubriter prouidere, reuocauit, ac declarauit nullas, inualidas, & subreptitias omnes, & quascumq; Iudicum deputationes in literis Conseruatorijs iuxta formam in quinterno Cancellariæ descriptam, seu alias quomodolibet expeditis hactenus per Sedem Apostolicam perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum concessas, & directas ijs Conseruatoribus, & Iudicibus qui qualitates non habent requisitas, & descriptas in Constitutione fel. rec. Bonifacij Papæ Octaui Prædecessoris sui, quæ incipit *Statutum*, quiq; etiam in Cöcilijs Prouincialibus, aut diœcesanis, iuxta Decretum, Concilij Tridentini electi, & designati non sunt ad instantiam quorumcunq; Conuentuum Capitulorum, Militiarum, Vniuersitatum, Collegiorum Ordinum, ac in fauorem quorumuis Monasteriorum, Hospitalium, & aliorum quorumuis piorum, tam secularium, quàm cuiusuis Ordinis, aut Instituti Regularium, locorum quantumuis exemptorum obtentas, cum quibusuis præseruatiuis, restrictiuis, mentis attestatiuis derogatoriarum derogatorijs, efficacioribus, & insolitis clausulis, & decretis, quorum omnium tenores Sanctitas Sua haberi voluit pro expressis; non tamen quoad negocia iam cœpta, vel quoad ea, in quibus illæ suum iam sortitæ effectum, seu executionem habuerunt: Ac etiam insuper voluit, & ordinauit, quòd omnes deinceps literæ Conseruatoriæ huiusmodi per Sedem Apostolicam concedendæ ad Conseruatores, & Iudices dumtaxat dirigantur, qui qualitates iuxta dicti Bonifacij Constitutionem habeant, quiq; in præfatis Concilijs electi, & designati sint, & non alijs, aliter verò expeditæ literæ præfatæ nullius sint roboris, vel momenti. Decernens, &c.

Placet publicetur & describatur Hi.

Lecta, & publicata fuit supradicta reuocatio Romæ in Cancellaria Apostolica, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo nonagesimo primo, die verò Iouis decimanona Martij, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Papæ Anno Primo.

Claudius Ciccolinus Custos.

Marcus Antonius Ascerius Cancellariæ Apostolicæ Vicecustos extraxi ex libro Regularum Cancellariæ Apostolicæ, & in fidem me subscripsi.

ROMAE, Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.